

offendimus, folliciti essemus, statim in ipso limine compendiosissimam numerandi viam celebri Pythagoreorum Tetracty haud absimilem nobis luculentissimè demonstravit. Quam uti Clariss. Dn.M. Burgerus, Collega noster amicissimus, disquisitione publicà ventilandam paulò post exposuit; ita simul omnia, quæ tum inter disputandum subnascebantur dubia, discussuri sequentibus aliquot conventibus id egimus, ut huic materiæ paulò abstrusiori majorem ex antiquitate lucem foeneraremur, & in genuinam famosæ istius Tetractyos vim ulteriùs inquireremus. Ubi liquidò quidem fatemur, quod variis auctorum diffidiis præpediti omnimodè tutum pedem in sensu vocabuli figere non præsumserimus: interim iis, quæ maximo numero nobis adsunt, probabilitatibus persuasi confidentissimè asserimus, nullam de Tetracty sententiam veritati æquè ac menti Pythagoræ viciniorem esse, quàm quâ *quaternarium supputandi modum, essentialium quaternario similem*, importare existimatur.

Illud enim ab initio præsupponendum arbitramur, quod & ipsum vocabulum satis clarè docet, nempe numericum quippiam fuisse, quod Pythagorei dixerunt Tetractyn; ipsum autem quaternarium absolutè sumtum id non fuisse, tum vocis diversa terminatio monet, qua *Tetractys*, non *Tetractas*, appellatur; tum Jamblichi testimonium evincit, quod de Vita Pythag. l. i. c. 28. τὴν εὐρεσιν τῆς τετρακτύος h. e. *inventionem* (uti Carmen aureum ipsam *traditionem*,) Tetractyos Pythagoræ tribuit, quod non de quaternario, (quippe qui cuilibet ab ipsis cunis familiaris est, nec ut ab ullo vel inveniatur, vel tradatur, opus habet,) sed de alia quadam re circa quaternarium, intelligi potest.

Utut autem perquam multis, iisque maximè speciosis, præ-

pro-